

HINC :

- QUÆR. 1° *In quonam loco Baptismus solemnus conferri debeat?*
 2° *An liceat aliquando Baptismum extra Ecclesiam conferre, et cæremonias ad aliud tempus remittere?*
 3° *Quid de Parocho dicendum?*

SOLUTIO :

221. — *R. ad 1^m Quæs.* Ex jure canonico Baptismus solemnus in Ecclesia sola parochiali conferri potest. Soli Regum vel Principum filii ab illa lege excipiuntur. *Ex Clementina Encyclica de Baptismo.* — Non licet igitur alios quoslibet in aliis Ecclesiis, seu Sacellis, aut Oratoriis, sive privatis, sive publicis baptizare, nisi de sola Episcopi licentia; et hoc, non obstante qualibet consuetudine, ut constat ex Declaratione S. Congr. Conc. 7. Febr. 1734.

222. — *R. ad 2^m Quæs.* 1° Baptismus nunquam conferri potest extra Ecclesiam, et quidem parochialem, excepto casu necessitatis, privilegii, aut facultatis specialis ab Ordinario obtentæ. Sequitur ex modo dictis.

2° Quod ad cæremonias attinet, distinguendum est. Si Sacerdos in necessitate extra Ecclesiam baptizet, omittere debet cæremonias quæ Baptismum præcedunt, et eas remittere ad tempus quo infans convaluerit et ad Ecclesiam deferri poterit. Sed cæremonias quæ Baptismum subsequuntur peragere debet. Constat ex Declaratione S. Cong. Rit. apud de Herdt, *Sacræ Liturgiæ praxis*, t. 3, de Baptismo.

Sic enim auctor ille : « Si Sacerdos in necessitate extra Ecclesiam baptizet, omittere debet omnes cæremonias quæ Baptismum præcedunt, « etiamsi infans tamdiu victurus videatur; collato autem Baptismo ut « supra, debet infantem in vertice ungere Chrismate, si habeat, imponere « vestem albam, et candelam accensam præbere. Cum autem convaluerit « infans, præsentandus est in Ecclesia, ibique, et nunquam extra Eccle- « siam, supplendæ sunt cæremoniæ omissæ quæ Baptismum præcedunt. « *Decr. S. Cong. Rit.* 23 Sept. 1820. »

223. — *R. ad 3^m Quæs.* Parochus de peccato gravi damnandus est, quia contra legem Ecclesiæ gravem egit. Filii enim nobilium in Jure canonico minime ut privilegiati habentur. Parochus igitur non debuisset HONORIO, licet viro nobili ac præcipuo, morem gerere, nisi ab Episcopo facultatem obtinisset.

CASUS XIV.

BAPTISMUS PRIVATUS 2°.

SALUSTUS, vir nobilis, nova prole beatus, in patrinum requirit RICARDUM, virum conspicuum, sed absentem, nec ante mensem reversurum. Statuit primum ille, Baptismum prolis ad RICARDI adventum remittere; sed subinde timens ne proles interea periclitetur, petit a Parocho suo ut velit nunc infantem domi baptizare, cæremonias postea suppleturus in Ecclesia, cum invitatus patrinus advenerit. Illi morem gerit Parochus.

HINC :

- QUÆR. 1° *An graviter peccent parentes qui Baptismum ad mensem differunt, in gratiam patrini adventuri, vel familiæ congregandæ, solemnitate præparandæ?*
 2° *An graviter peccaverit Parochus?*

SOLUTIO :

224. — *R. ad 1^m Quæs.* Graviter sane peccant parentes qui per multum tempus Baptismum filiorum differunt. *Ita omnes.* Sed quænam dilatio ut gravis habenda sit? valde controvertitur. *Probabilius et communius* non habenda est gravis dilatio ea quæ 10 vel 11 dies non excedit. Secus vero, si excedat. *S. Lig. n. 118. — Hom. apost. n. 18. — Salmanticenses* censent non esse mortale differre ad 15 vel etiam 20 dies, etiam sine causa urgenti. Imo alii cum *Suarez* dicunt non esse gravem dilationem, si ad mensem non pertingat, licet non adsit causa; stante autem causa, si ad duos menses non extendatur. *V. S. Lig. ibidem.*

225. — *R. ad 2^m Quæs.* Graviter peccavit Parochus, saltem *per se loquendo.* Ratio deducitur ex dictis in casu præcedenti. Etenim soli filii Regum vel Principum, domi, præter casum necessitatis, baptizari possunt. Nec licet cæremonias ab ipso baptismo separare, præter casum necessitatis, vel licentiæ specialis, ut supra dictum est. *S. Lig., n. 142 et seq. — Voit, n. 203.*

CASUS XV.

BAPTISMUS SOLEMNIS 1°.

1° TROPHIMUS, Parochus, advocatus ad infantem de vita periclitantem baptizandum, ibi infantem cum ritu Ecclesiæ solemniter baptizavit, omniaque peregit præcedentia unctionem scapularum; sed tunc, re perpensa judicavit puerulum sine magno periculo in templum deferri posse. Mandat igitur, ut statim deferatur; subsequitur ipse, et in Ecclesia reliqua perfecit.

2° MEDARDUS, Parochus, dum casu celebrat in Sacello privato, consecrato tamen, ecce ipsi affertur infans baptizandus, idque rigente hieme, ita ut non possit deferri ad Ecclesiam, ab ædibus infantis longe dissitam, et quo per nives adeundum esset. Parochus eum ibi baptizavit, et cum Chrisma sub manum non haberet, alio tempore illam unctionem supplevit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An bene egerit TROPHIMUS in primo casu?*
 2° *An recte MEDARDUS in secundo casu?*
 3° *An repetendæ sint cæremoniæ quando Baptismus, invalide collatus, est iterandus?*

SOLUTIO :

226. — *R. ad 1^m Quæs.* Erravit TROPHIMUS baptizando infantem domi cum solemnibus Ecclesiæ cæremoniis quæ Baptismum præcedunt, ut constat ex dictis supra in casu 13, in responsione ad 2^m Quæs. n. 222. De-

buisset enim infantem, de vita periclitantem, domi baptizare, omissis omnibus cæremoniis quæ ante Baptismum adhiberi solent, et eas remittere ad aliud tempus, donec infans ad Ecclesiam deferri posset, et solas reliquas cæremonias perficere. Recte tamen egit cæremonias interrumpendo, cum postea advertit nullum amplius esse periculum ut eas in Ecclesia convenientius perficeret.

227. — *R. ad 2^m Quæ.* Neque excusandus est MEDARDUS, quia contra præceptum Ecclesiæ baptizavit, extra Ecclesiam parochialem, infantem de vita non periclitantem. Non erat enim periculum in mora, et superveniente postea periculo, potuisset Parochus advocari, vel infans, Parocho deficiente, ab alio rite edocto baptizari. Recole dicta in casu 13, n. 222.

228. — *R. ad 3^m Quæ. Controvertitur.* Duplex datur sententia probabilis, juxta *S. Lig. n. 144*. Negativa sententia, ait, communior est; sed affirmativa, secluso scandalo, aut gravi incommodo, potius est suadenda.

CASUS XVI.

BAPTISMUS SOLEMNIS 2^o.

TUSSANUS, aliquando gravibus negotiis pressus, baptizando, plures orationes et ritus in Rituali præscriptos omisit, quia eorum series longa nimis videbatur, et eorum repetitio parum utilis. Hinc, v. g., semel solum cruce signat et unicam tantum orationem recitat, subjecta illa adjuratione: *Ergo, maledicte Diabole, etc...*; cætera autem omisit.

HINC :

QUÆR. 1^o *Qualis omissio sit gravis in cæremoniis?*

2^o *An graviter peccaverit TUSSANUS?*

SOLUTIO :

229. — *R. ad 1^m Quæ.* Reputatur gravis omissio quælibet notabilis, v. g. omissio unctionis Chrismatis, vel Olei cathecumenorum, omissio exorcismorum et alia similia. *Vide Comp. n. 253.*

R. ad 2^m Quæ. TUSSANUS graviter peccavit toties quoties præfatas cæremonias omisit sine necessitate, quia ritus ab Ecclesia præscriptos in materia gravi, et sine necessitate prætermisit. Imo, graviter etiam peccasset, si unicam *in se* gravem cæremoniam omisisset. Secus vero, si omisisset quid leve, v. g. quædam crucis signa, breves orationes, etc. *Elbel, n. 79. V. Comp. n. 253.*

CASUS XVII.

PATRINI 1^o.

1^o MAURITIUS, vir nobilis, proli suæ baptizandæ tres patrilinos designavit, scilicet, virum unum et duas mulieres. Adstant omnes simul coram Parocho, infantem deferentes. Parochus quidem id fert ægerrime; sed timens ne MAURITIUM offensum habeat, neminem repellit.

2^o PAULINO, Parocho, infans baptizandus offertur; eum concomitantur, præter obstetricem, vir unus et mulieres duæ. Una mulier dicebat se a

patre, altera a matre rogatam fuisse, ut prolem in Baptismo susciperet. Conatur Parochus unam mulierem dimittere, sed incassum. Noluit autem rogare virum, ut discederet. Ideo omnia composuit, omnes admittendo.

HINC :

QUÆR. 1^o *Quot patrini requirantur, et quales?*

2^o *An requirantur in Baptismo privato? Vel, an patrini in Baptismo privato adhibiti cognationem contrahant?*

3^o *An graviter peccaverit Parochus in primo et secundo casu, tres patrilinos admittendo, et utrum omnes cognationem spiritualem contraxerint?*

4^o *An in secundo casu Parochus potuisset, viro dimisso, duas mulieres admittere?*

SOLUTIO :

230. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o Ex præcepto Ecclesiæ adhibendus est saltem unus patrini in Baptismo solemnibus, sive vir, sive mulier; nec plures quam duo adhiberi possunt. *Conc. Trid. sess. 24, c. 2, de Reform. matr.* — 2^o Requiritur autem: ut patrini sit baptizatus; ut usu rationis gaudeat; ut sit designatus a parentibus, vel a Parocho, eorum defectu; ut tangat baptizatum *per se*, vel saltem *per alium*; tandem, ut habeat veram voluntatem patrini munus gerendi.

R. ad 2^m Quæ. 1^o Patrini non debent necessario adhiberi in Baptismo privato; laudabilius tamen adhibentur. *S. Lig. n. 147.*

2^o *Probabilius* cognatio spiritualis non contrahitur in Baptismo privato. Ratio est, quia juxta *Trid. sess. 24, c. 2, de Reform. matr.*, impedimentum cognationis spiritualis tantum contrahitur ab illis qui de sacro fonte baptizatum suscipiunt; fons autem pro Baptismo solemnibus tantum, non vero pro privato, institutus est. *S. Lig. n. 149, et Hom. apost. n. 33, et alii communius*, ut ipse testatur; contra *Suarez, Salmant.*, etc...

231. — *R. ad 3^m Quæ.* 1^o Uterque Parochus graviter peccavit, plures quam unum et unam ad levandum baptizatum admittendo; quia uterque in re gravi prohibitionem Ecclesiæ violavit. Quando igitur plures patrini, quam duo, a parentibus sunt designati, Parochus tenetur non admittere nisi unum et unam ex designatis: ipse enim tunc tenetur designare patrilinos admittendos; ad eum spectat providere, ut omnia recte fiant. Si parochus non possit aliquos sine offensa dimittere, v. g. personas illustres, difficiles, dissimulet primum, permittatque ut tanquam testes Baptismo assistant, postea vero dicat satis esse si unus vel una infantem tangat: nec permittat ut alii eum tangant, aut saltem ut eo tangant modo qui requiritur ad cognationem spiritualem contrahendam. Etenim, licet primum spectet ad parentes patrilinos designare, ad Pastorem tamen pertinet eos eligere, ubi parentes id non fecerunt, vel male præstarunt.

2^o Nullum autem dubium est quin omnes qui munus patrini exercent, et vere infantem tangunt, affinitatem spiritualem contrahant, etiamsi contra voluntatem Parochi agerent; quia, ex dictis, munus designandi patrilinos in primis ad parentes pertinet. *Reuter, n. 124. — Elbel, n. 35.*

232. — *R. ad 4^m Quæ. Neg. prorsus.* Ratio est, quia expresse sta-

tuitur in *Conc. Trid.* ut vir unus et mulier una tantum adhibeantur. Ergo in casu nostro PAULINUS virum dimittere non debuit. Si vero neutra mulier utpote duræ cervicis, discedere velit, præcipiat Parochus ut una sola infantem tangat, juxta ea quæ superius dicta sunt.

CASUS XVIII.

PATRINI 2°.

TITIANUS, Parochus, infantem baptizaturus, patrino a parentibus designato moram protrahente, animi impotens, vocavit PANCRATIUM, qui forte in Ecclesia aderat, ut patrini officium perageret. Dum autem Parochus secundam aquæ infusionem, ac verba formæ et *Filii* proferret, advenit exspectatus patrinus qui illico aliis se adjunxit.

HINC :

QUÆR. 1° An TITIANUS graviter peccaverit rogando PANCRATIUM, ut patrinum ageret?

2° An tum PANCRATIUS, tum alius in medio Baptismo adveniens, cognationem spiritualem contraxerit?

SOLUTIO :

233. — R. ad 1^m Quærs. TITIANUS, Parochus, a reatu culpæ gravis minime excusari potest, ex eo quod, proprio Marte, patrinum a parentibus non designatum, sine gravi ratione adhibuerit; etenim jus parentum in re vere gravi, contra præscriptum *Conc. Trid.*, violavit.

234. — R. ad 2^m Quærs. 1° PANCRATIUS cognationem spiritualem contrahere videtur, licet a parentibus infantis designatus non fuerit. Ratio est, quia ex *Conc. Trid.* patrinus non designatus eximitur tantum a cognatione contrahenda, quando accedit præter designatos; ergo, si aliquis sit solus et non designatus, vel si sint plures, et nullus eorum designatus sit, omnes affinitatem nihilominus contrahunt, siquidem contrahebant ante *Trid.*, et in hoc jus antiquum nullo modo mutatum fuit. S. *Lig. n. 154, et alii communius, contra plures.*

2° Patrinus designatus a parentibus non debet censi contraxisse cognationem spiritualem, quia proprie Baptismo non adfuit, cum ad finem tantum prolutionis formæ advenerit.

CASUS XIX.

COGNATIO SPIRITUALIS 1°.

1° ADRIANUS, ut patrinus designatus, die statuto accedere non potuit; ideo MARCUS, pro eo supplendo, a parentibus prolis rogatus fuit. Ignoravit autem ADRIANUS alium sui loco, seu nomine suo, assignatum fuisse, ut patrini officium ageret.

2° AUGUSTUS, rogatus a TITIO ut puellulæ suæ patrinus foret, libenter munus illud acceptat, et cum aliis ad Ecclesiam tendit. Sed ecce! ibi

cernit præsentem SABINUM, virum conspicuum, et, urbanitatis causa, illi munus patrini cedit. Acceptat ille, et puellulam e sacro fonte levat. Elapsis vero sexdecim annis, AUGUSTUS puellam ducere intendit; sed ante quærit, num cognationem spiritualem fortasse contraxerit?

HINC :

QUÆR. 1° Quomodo, ratione baptismi, contrahatur spiritualis cognatio?

2° An ADRIANUS cognationem contraxerit in primo casu? an vero ille qui patrino designato est substitutus?

3° An AUGUSTUS in secundo casu? an vero SABINUS?

SOLUTIO :

235. — R. ad 1^m Quærs. Contrahitur cognatio, seu affinitas spiritualis ratione Baptismi, inter baptizantem et baptizatum ejusque parentes ex una parte, et inter patrinum, baptizatum ejusque parentes ex altera. Hæc affinitas impedimentum matrimonii dirimens constituit. V. *Comp. de Matr. n. 805.*

R. ad 2^m Quærs. Neg. Etenim ADRIANUS non fuit monitus a parentibus de subrogatione nomine illius facta; ergo non potuit habere intentionem munus patrini per alium gerendi. Nemo enim est mandans, quin mandatum dederit, vel approbaverit. Ergo ADRIANUS non fuit patrinus, neque *per se*, cum non advenerit, neque *per alium*, cum ignoraverit aliquem suo nomine fuisse substitutum. An vero affinitatem contraxerit saltem ille qui est substitutus? — R. Neg. quia non fuit adhibitus ut vere patrinum *per se* ageret, neque ipse intentionem habuit patrinum agendi nomine alterius.

236. — R. ad 3^m Quærs. AUGUSTUS minime contraxit affinitatem. Ratio est, quia non sufficit, ad contrahendam cognationem, ut quis a parentibus sit designatus, et ipse munus patrini acceptet; sed requiritur omnino, ut reapse infantem de sacro fonte levat. Atqui non levavit, siquidem locum suum ex urbanitate alteri cessit. Ergo... An vero SABINUS contraxerit affinitatem? Affirmandum est. Voluit enim patrinum agere, et reapse egit. Nec obstat quod a parentibus non fuerit designatus, juxta dicta in casu præcedenti.

CASUS XX.

COGNATIO SPIRITUALIS 2°.

LINA, in partu periculosissimo, vitæ valedixit. LUCIA, vicina, prolem ejus periclitantem baptizare festinat. BERTRANDUS vero, maritus LINÆ defunctæ, cum LUCIA matrimonium contrahere intendit; sed ante quærit, utrum aliquo impedimento laboret?

HINC :

QUÆR. An LUCIA BERTRANDO, patri prolis a se baptizatæ, nubere possit?

SOLUTIO :

237. — *R. Neg.* Ratio patens est. Etenim LUCIA, baptizando infantem, affinitatem contrahit, non solum cum infante ipso, sed etiam cum ejus patre, seu cum BERTRANDO. Ergo ipsi absque dispensatione nubere non potest. Nec obstat, quod infantem hunc in casu necessitatis baptizaverit; nam soli parentes in necessitate prolem baptizantes eximuntur ab affinitate *inter se* contrahenda, ita ut a debito conjugali non arceantur, quia lex Ecclesiæ parentes *inter se* non respicit. *Vide dicenda in Tractatu de Matrimonio, ubi de cognatione spirituali, et in Comp. n. 806.*

CASUS DE CONFIRMATIONE

SEU

De materia, Ministro, et subjecto Confirmationis.

CASUS I.

MATERIA CONFIRMATIONIS 1°.

OLYMPIUS, Missionarius in regionibus infidelium, et donatus a Papa facultate Sacramentum Confirmationis conferendi, oleo ab Episcopo benedicto, cum, decurrente tempore Paschali, novum Chrisma, seu in ultima Cœna Domini consecratum, præ manibus non haberet, ad Confirmationem conferendam, Chrismate veteri, seu anni præteriti, utitur. Subinde satagit quidem, ut novum Chrisma quantocius obtineat; sed vix obtinuit, cum audivit mercatorem, qui illud subministraverat, oleum quidem olivarum vendidisse, sed oleo nucum in notabili quantitate immixtum. Quare anceps et dubius nescit quid sibi agendum sit. Aliquando vero, deficiente Oleo ab Episcopo benedicto, oleo non benedicto utitur.

HING :

- QUÆR. 1° *An Confirmatio, collata in veteri Chrismate, valida fuerit et licita, prout in casu?*
 2° *An valida fuerit Confirmatio, ratione olei nucum cum oleo olivarum commixti?*
 3° *An Oleum, seu Chrisma debeat esse ab Episcopo benedictum, ad Sacramenti validitatem?*

SOLUTIO :

238. — *R. ad 2^m Quæs.* 1° Confirmatio collata in veteri Chrismate fuit certo valida, quia novum non requiritur de necessitate Sacramenti; siquidem materia non mutatur essentialiter, sive Chrisma sit vetus, sive novum, ut patet. 2° Collatio Sacramenti cum veteri Chrismate illicita fuit, et quidem graviter, quia OLYMPIUS grave præceptum Ecclesiæ violavit. Est tamen a peccato excusandus Missionarius noster si aliud Chrisma habere non potuerit, atque adfuerit causa urgens Confirmationem conferendi, v. g. si debuit e loco ad tempus diuturnum discedere, ut facile Missionario accidere potest. *S. Lig. n. 162.*

R. ad 2^m Quæs. Neg., nisi oleum olivarum quantitate multo sit præstantius. Ratio est, quia oleum olivarum tantum, oleum proprie dicitur. Igitur OLYMPIUS, posito dubio gravi de olei hujus validitate, non potuit cum illo Sacramentum Confirmationis conferre, sed illud ad aliud tem-

pus differre debuit, vel, urgente gravi causa, uti veteri Chrismate, si quod adhuc supersit. *Voit, n. 231.*

239. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o Chrisma debet certo esse benedictum ab Episcopo, ratione præcepti. Ita omnes, ait *S. Lig. n. 163.*

2^o Chrisma debet etiam certo esse benedictum, saltem a Sacerdote, ratione Sacramenti; constat ex Decreto Clement. VIII apud *Bened. XIV, de Synodo, l. 8, c. 1. Vide S. Lig. ibid.*

3^o *Controvertitur* autem utrum Chrisma debeat esse benedictum ab Episcopo, ratione Sacramenti, seu ad Sacramenti validitatem. Affirmant communius, quia id præscribitur Decreto Eugenii IV, ubi dicitur, materiam Confirmationis esse *Chrisma ab Episcopo benedictum*. Negant tamen Theologi non pauci probabiliter. Ratio est, quia Papa concedere potest simplici Sacerdoti facultatem benedicendi oleum, sicut ei conferre valet potestatem confirmandi. In praxi tenenda est prima sententia utpote tutior, ait *S. Lig. n. 163.* Cæterum quæstio hæc minimi est momenti, cum benedictio Sacerdotis absque delegatione Papæ invalida sit.

CASUS II.

MATERIA CONFIRMATIONIS 2^o.

IRENÆUS, adhuc puer, a matre in Ecclesiam, Sacramentum Confirmationis recipiendi gratia, deductus est, quando jam sacram cæremoniam Episcopus inceperat, nimirum, cum recitatis orationibus consuets, expansisque manibus super confirmandos, jam ad singulos pueros Chrismate inungendos devenerat. Inter cæteros mox collocatus, nulla interposita mora, ab Episcopo sacra unctione fuit delibutus. Postea vero, cum clericalem vocationem suscepisset, atque ad subdiaconatus Ordinem jamjam esset promovendus, de testimonio acceptæ Confirmationis inquirens, audit ab ipsa matre quomodo res peracta fuisset. Qua propter scrupulis angicœpit circa Sacramenti validitatem; verens tamen ne ab Ordinatione arceretur, rem alto silentio compressit. At sacro Ordine suscepto, majoribus conscientiæ stimulis agitatus, Episcopum adiit, eique omnia pandit, postulans ut denuo confirmaretur. Sed ejus votis Episcopus obtemperare noluit.

HINC :

QUÆR. 1^o *An IRENÆUS valide confirmatus fuerit?*

2^o *An graviter peccaverit, Ordinem suscipiendo in hypothesisi quod confirmatus non fuerit?*

SOLUTIO :

240. — *R. ad 1^m Quæst. Affirm.* IRENÆUS ut valide confirmatus habendus est. Ratio est, quia materia proxima Confirmationis consistit in sola unctione chrysmatis, manu Episcopi facta super frontem confirmandi. Plures quidem olim contendebant, materiam adæquatam consistere etiam ex parte in impositione manuum Episcopi super omnes simul facta, sub initium sacræ cæremoniæ. Sed hodie certo constat, ritum hunc esse de

mero Ecclesiæ præcepto pro Confirmationis ministro, non vero ad Sacramenti essentiam requiri. Constat ex Declaratione *Benedicti XIV*, Epistola encyclica *Ex quo primum*, ubi præsertim dicit : *Quod itaque extra controversiam est hoc dicatur : nimirum, in Ecclesia Latina, Confirmationis Sacramentum conferri adhibito sacro Chrismate, sive Oleo olivarum balsamo commixto, et ab Episcopo benedicto, ductoque signo Crucis per Sacramenti Ministrum in fronte susipientis, dum idem Minister verba formæ profert.* Ibi igitur docet Pontifex esse extra controversiam, valide Sacramentum conferri cum sola Chrysmatis unctione, adhibita per manum Episcopi, et unicam esse formam, eamque unctionem comitari. Ergo recte egit Episcopus, cum IRENÆUM denuo confirmare noluit. *S. Lig. n. 164*, dicit hanc doctrinam, post Pontificis Declarationem, omnino tutam esse. — Concinit *Gousset, n. 130.*

241. — *R. ad 2^m Quæst. Nego* probabilius, juxta sententiam communem. Ratio est, quia non apparet deordinatio gravis in hoc, quod quis non confirmatus Ordines suscipiat; verba enim Conc. Trid. non videntur præceptum grave continere. Sed accedens ad Ordines, ommissa Confirmatione, a peccato levi excusandus non est. *S. Lig. de Ordine, n. 786.*

CASUS III.

MINISTER CONFIRMATIONIS.

ALBERTUS, Missionarius apostolicus, ad extremas Americæ plagas abiturus, obtinuit a Summo Pontifice facultatem confirmandi eos omnes quos ipse baptizaturus esset. Intra paucos annos, infideles bene multos in Fide baptizat, et confirmat. Dum in festo solemniori Sacramentum Confirmationis conferret, ecce puer, quem ungere intendebat, inopinatus retrospexit; et contigit ut, loco frontis, maxillam confirmandi sacro Chrismate unxerit. Alias, dum pollice vulnerato signare frontes confirmandorum non possit, digitum indicem, vel etiam pollicem sinistrum adhibet. Alias etiam frontem lepra infectam, juvante penicillo, inungit.

HINC :

QUÆR. 1^o *An simplex Sacerdos possit esse minister delegatus Confirmationis?*

2^o *An ALBERTUS valide confirmaverit in maxilla, utendo indice, aut manu sinistra?*

3^o *An valide confirmaverit juvante penicillo?*

SOLUTIO :

242. — *R. ad 1^m Quæst.* Simplex Sacerdos potest esse minister extraordinarius Confirmationis, ex delegatione speciali. Constat ex praxi Ecclesiæ, et ex Constitutione *Benedicti XIV* : *Eo quamvis tempore.* Sed uti debet Chrismate ab Episcopo benedicto. *Recole dicta in casu primo, n. 239.*

243. — *R. ad 2^m Quæst.* ALBERTUS invalide confirmavit puerum in maxilla, quia materia proxima Confirmationis est unctio Chrysmatis bene-